

De arte.

Problematis historiae alium aggredimur aspectum.

Hactenus iam de duplici scientiae notione locuti sumus, alia antiquiori, et alia recentiori, unde duplicem evidētiaē notionem hausimus, aliam directam ad fidem faciendam, aliam indirectam et circumstantialē ad rerum praeteritarum intelligentiam gignendam, quae intelligentia utrum scientifica esse possit in duobus casibus iisque facillimis consideravimus, nempe, utrum historia cuiusdam scientiae vel artis technicae scientifica esse possit, et utrum historia philosophiae scientifica esse possit.

Et primo in casu non ad historiam sed ad seriem historiarum pervenimus; ut relicta sit quaestio utrum systema quoddam inveniri possit, quod manifestaret qualis sit illa series, seu quid in prioribus membris mutabile, quid immutabile;

altero autem in casu, confessi sumus existere historiam quamdam technicam quae quidem bene facit opus motivi insper ex datis operantis, caret tamen motivo clare definito et desuper ex principiis operantis, neque tale motivum acquirere potest nisi mira quaedam philosophia philosophiarum inveniat

Nemo tamen non videt quam longe hi casus particulares a communi cursu rerum humanarum distent;

quidquid enim sit hic communis rerum cursus, certo certius non consistit in solis artibus practicis, in scientiis, in philosophiis;

ideoque omnino aggredi oportet principalem illum vitae humanae aspectum atque modum qui sine reflexa conceptualization sui procedit.

Quam ob causam, tamquam gressum praeparatorium instituentes, non nulla de arte veniunt iam dicenda.

In arte enim ~~non~~ invenitur (1) activitas quaedam proprie humana, (2) etiam a primitivis antiquissimis exercita, et (3) adeo expers reflexae sui conceptualizationis ut etiam ipsa theoria artis essentialiter quodammodo ab arte differre cernatur

De notione artis.

Ars dici potest 'formarum sensibilium et purarum compositio quaedam expressiva atque symbolica.'

Quae definitio quid sibi velit per singular verba discurrendo aperire oportet

1) Forma sensibilis: id quod apparet visioni, auditui, kinaesthesiae

iterum: obiectum materiale phenomelogiae

iterum: eadem compositio habetur tum in notis musicis exscriptis tum in iisdem notis sonatis; sed in illis deest in his adest forma sensibilis, nampe, sonus

2) Purae formae sensibiles: scilicet, non instrumentalizatae, sed quodammodo propter se.

Communiter in vita humana formae sensibiles subsunt fini, ordinationi, attentioni, structurationi, dynamismo non pro priis

sed alienis, puta vitae intellectualis, uti in Thale philosopho qui totus in stellis observandis puteum prae pedibus non percipit

vel vitae intersubiectivae, ~~xxx~~ interpersonalis, ubi sensibiles formae apprehenduntur quatenus mentem sensum sentimenta alterius manifestant

vel vitae practicae, ubi iterum formae sensibiles apprehenduntur, sed per modum signorum quae actionem faciendam indicant et quodammodo inducunt, (lux rubra apparet, et frenam automobilis constringitur; lux virida apparet, et premitur accelerator).

3) Compositio: est quaedam forma, ordinatio, sed sui generis Exclusa enim instrumentalitate vitae sensitivae, non habetur vacuum seu status quidam iners, sed efficitur quaedam liberatio ut ipsa vita psychica secundum proprias \bar{g} leges in actum prorumpatur

Quae quidem vita non informis sed suo modo ordinata est, unde artista loqui solent de quadam inevitabilitate formae

Putat, si sonatur 'do', quilibet alius sonus sequi potest; sed si sonatur series quaedam notarum, ipsa incipit series suam continuationem quodammodo determinat atque exigit;

et magnorum compositorum virtus in eo conspicitur quod hanc exigentiam ita implent ut tamen modo ~~semper~~ inopinato, locupletiori, pleniori faciant

Et Quamvis compositio in re musica magis obvia est, pariter tamen adest in reliquis artibus, in coloribus, lineis, lucis et umbrae successionibus, voluminibus, saltantium motibus, etc., componendis.

Quae quidem compositio intellectu conspici potest et conceptibus verbisque exprimi

ita critici ad compositionem operis advertunt, elementa distinguunt, ipsam compositionem describunt, aliam et aliam inter se comparant, ~~imo historiam artis recedentes explicant quemadmodum ex simplicioribus ad magis complexas [quasi eumlatiis] theorematibus [geometricis] proceditur~~

vel brevissima

imo, quaedam educatio artistica requiritur et quaedam notitia evolutionis artisticae, ut quis perveniat ad illum gustum ~~qui~~ cui complacet non tantum ars simplicior sed etiam ~~magis~~ subtilior et evolutior

Attamen, quamvis compositio artistica intelligibilitatem habeat, nihilominus haec intelligibilitas totam compositionis rationem neque totam neque principalem compositionis rationem dicit

Propria enim et principalis compositionis ratio potius in ordine sensibili quam intelligibili invenitur;

nam sicut res inorganicae et multo magis res organicae proprias formas habent, ita etiam ipsa vita psychica et humana;

et propria compositionis ratio non in eo est quod concipi et describi potest sed in eo quod vitam humanam psychicam secundum proprias leges, sed proprias exigentias, secundum propriam connaturalitatem actuat.

Connectitur ergo hoc quod de compositione diximus cum eo quod antea de puris formis sensibilibus dixeramus:

ideo ars vult formas sensibiles puras, ab omni instrumentalitate liberatas, ut eas componat secundum connaturalitatem, exigentias, leges ipsius sensibilitatis.

4) Artem diximus purarum formarum sensibilibus compositionem expressivam, et iam de illa voce, expressiva, loquendum est.

Iam vero ars potest esse etiam repraesentativa: ita pictura occidentalis per saecula res, plantas, animalia, homines repraesentabat; ita ipsa musica, quae dicitur programmatica, cantus avium vel sonos naturales sive fluminum sive tonitruum, etc., imitari et repraesentare potest.

Sed hic aspectus ~~repraesentativus~~ est superadditus; non tam ad ipsam artis essentiam pertinet quam ad complementum quod adesse vel abesse absolute potest.

E contra, compositio artistica debet esse expressiva, hoc est, debet habere aliquem sensum

non quidem sensum conceptualem sicut in nominibus et verbis invenitur,

sed sensum ipsius vitae psychicae praeconceptualem, qui non per conceptus sed tantummodo per artes communicatur

~~Qualis sit ille sensus?~~

~~Non-per-conceptus-exprimitur-sed-indigitatur~~

~~Quaestio conceptibus ponitur, sed per conceptus~~
responsio

Qualis sit ille sensus praeconceptualis, psychicus?

Nisi analogis non exprimitur; et ipsa expressio analogica non est nisi quaedam indigitatio, quasi quis responderet ad quaestionem, quid sit homo, per interiectionem, ecce! hic est homo.

Iam vero in ipso ordine intellectuali, duplex est sensus: alius externus, denotativus; et alius internus in intrinseca rationum cohaerentia fundatus

Ita hoc nomen, vectis (lever, ital. leva, gall. levier), denotat instrumentum quo pondera magna facilius elevantur

Sed ulterius mechanici agnoscunt legem quamdam vectis, nempe, ~~amxxx~~ $af' = bf''$, et quia ipsa haec lex in se est intelligibilis, ita eam sensum habere, facere, dicimus

Similiter in vita sensitiva, quae ad ordinem intentionalem pertingit, ipsa interna elementorum cohaerentia, ordinatio, compositio est sensus quidam

qui sensus ipsi vitae psychicae immanens exprimitur per compositionem artisticam purarum formarum sensibilibus

Dicitur ergo compositio sensum habere quatenus ipse compositionis ordo quodammodo correspondet ad sensum vitae psychicae immanentem,

~~quae quidem correspondentia in eo est, non quod colores, figurae, soni, saltantium motus interior~~

quae quidem correspondentia non est materialis sed formalis

non materialis quia interior vitae psychicae sensus non inest coloribus sonis figuris saltantium motibus

sed formalis quia qualis est compositio in coloribus sonis figuris motibus, talis est compositio in ipsa vita psychica

Iterum, dicitur opus artisticum exprimere, vel esse compositionem expressivam, quatenus compositioni, ordinationi operis, correspondet similis quaedam compositio vel ordinatio in ipsa experientia vitae.

Notate tamen artistam exprimere non experientiam personalem et actualem

Alia est ars et alia est autobiographia: quo maior est artista, eo plenius sensum vitae non suum sed alienum exprimere potest

Et multo minus actualis experientia per artem exprimitur: actualis enim experientia ab instrumentalizatione raro liberatur; idealizatio requiritur ut e multis et confusis vitae accidentibus et perturbationibus liberatur quasi

essentia cuiusdam experientiae; et quavis artista ~~ex experientia sua vel sua~~

sive ex experientia sua sive ex sympathia inspirationem hauserit, tamen opus artisticum hanc inspirationem tamquam thema elaborandum atque complendum adsumit

Unde Wordsworth dixit poemata exprimere non ipsas emotiones actus expertas sed emotiones quae in tranquillitate recoluntur; et lamentatus est Mozart vitam suam tot aerumnis deprimi ut componere non possit, scilicet quia defuit necessaria tran-

quillitas

5) Illustratur hic sensus haecque expressio ex diversis
artis generibus

a) Ars decorativa facit superficiem visibilem

An vidistis muros huius ~~in~~ aulae. Ita vidistis ut
certo sciatis nihil adesse videndum. Nihil enim adest quod
attentionem moveat, nihil quod interesse excitet, nihil in
quo vita vel psychica sustentetur.

Unde duplex distingui potest visibilitas
Alia est visibilitas quae ~~in~~ eo ipso habetur quod
oculi non sunt caeci et spatium tenebris non obruitur
Alia autem est visibilitas quae non solum actum
videndi reddit possibilem sed eum invitat, sustentat, et
ab alia activitate ~~revertit~~ hominem revocat

Quid facit differentiam inter duplicem visibilitatem?
Bene, conscientia humana non est automatica quaedam
functio datorum externorum

in datis externis quoddam initium invenit vel potius
invenire potest

sed utrum inveniat necne, dependet ex orientatione
ipsius conscientiae, quae inde a ipsa sensibilitate est
quid liberum, quid sui dominus, quid in suos fines propter
suam curam, suam Sorge, intentum

Ulterius, nisi ordinatum intra conscientiam non
assumitur.

Transimus per vias publicas et colloquimur. Strepitus
fere continuus vix auditur. Sed soni ex voce colloquentis
audiuntur. Audiuntur quia habet sensum; et strepitus non
auditur quia sensu caret. Facillime audimus et repetimus
melodiam; sed difficillime diceremus quo ordine quos streptius
in viis publicis ultimo quodam momento audivimus.

Decoratio ergo facit superficiem visibilem quia
ponit ordinem visibilem,

et ipse ordo visibilis attentionem percellit quia
ordo in decoratione posita est, generatim, ordo quidam
organicus, ordo ramorum ex trunco, ordo foliorum ex ramis,
non ipsa complexitate naturae, sed modo quodam facilliori
et idealizato et ~~in~~ saepius repetito